

§ III.

Distinctio scotistica.

118. Scotistae, cum suo magistro, debere solvi, quam versamur, difficultatem existimant per illam suam distinctionem «formalem» ex natura rei.» Dicunt essentiam et relationes divinas esse formalitates ex natura rei actualiter distinctas, id est, independentem a nostris conceptibus. Inde fit ut contraria de illis affirmari possint, quae antecederent ad nostros conceptus iisdem conveniunt, quin opus sit aliqua rationis distinctione.

119. Haec opinio iisdem fere laborat difficultatibus. a) Primo enim poterit vere negari, «quod divinitas sit Deus» et quod «Deus» sit divinitas;» quia ejusmodi formalitates non sunt idem: eadem ratione dicere licebit «Paternitas non est Deus.» Sed hoc in conc. Rhemensi damnatum est. b) Deinde illae formalitates sunt verum ens, vera realitas: si ergo actualiter et ex natura rei distinguuntur, est vera distinctio realis actualis, et in priores incidimus erroneas sententias. c) Deinde non sufficit haec distinctio formalis ex natura rei.

Nam ea quaeritur distinctio vi cuius, *realiter et simpliciter*, licet communicetur natura, non tamen Paternitas; licet idem sit natura et Pater, non sint idem Pater et Filius; etc. Sed id fieri nequit vi distinctionis formalis: ergo non sufficit. *Min.* prob. Eatenus impedit distinctio formalis Paternitatem communicari Filio, identificari cum Filio, quatenus illam distinguit ab essentia. Atqui non distinguit *realiter et simpliciter*, sed solum formaliter ex natura rei, Paternitatem ab essentia: ergo vi distinctionis formalis fieri nequit, ut *realiter et simpliciter* Paternitas non communicetur nec identificetur cum Filiatione. d) Confirm. Distinctionem formalem ponunt Scotistae, ut vitent hanc contradictionem: Paternitas non est Filiatio: Paternitas est Filiatio. Atqui, non vitatur per talem distinctionem: ergo non sufficit. Prob. *min.* Illa propositio: Paternitas non est Filiatio; est vera in sensu *reali simpliciter*. Sed illa alia: Paternitas est Filiatio; etiam est vera in sensu *reali simpliciter*, posita sola distinctione formali: ergo non vitatur contradictio per talem distinctionem. *Min.* patet. Haec propositio: Paternitas est Filiatio; sequitur ex his: Essentia est Filiatio; Paternitas est Essentia: ergo Paternitas est Filiatio. Atqui posita sola distinctione formali, adhuc remanent praemissae verae in sensu *reali simpliciter*: ergo illa conclusio; Paternitas est Filiatio, est vera etiam in sensu reali simpliciter.

§ IV.

Rationis distinctio.

120. Plures AA., negata qualibet inter essentiam et divinas relationes distinctione reali actuali, dicunt; solam distinctionem rationis ratiocinatae sufficere ad praedictas difficultates enodandas. Communis tamen sententia est hanc solam non sufficere. Aliquas indicabimus rationes.

a) Paternitas distinguitur per rationem ab Essentia, et similiter Omnipotentia. Sed ejusmodi distinctio non sufficit, ut de Essentia vere et realiter affirmetur Omnipotentia, et de Paternitate vere et realiter eadem negetur: ergo neque distinctio rationis ratiocinatae inter Paternitatem et Essentiam sufficit, ut de Essentia vere et realiter affirmetur esse Filiationem, et de Paternitate negetur.

b) Non sufficit distinctio rationis ratiocinatae, si antecederent ad illam debent esse objective verae propositiones illae: «Essentia est» realiter Filius, Pater non est realiter Filius;» item; «proprietas» absolutae communicantur Personis, relativae non communicantur:» etiam; «Filiatio producitur, Essentia non producitur;» etc. Atqui ita res se habet; independentem a nostris conceptibus, illa vera sunt, et talia a Deo cognoscuntur, nullusque catholicus dicere potest, quod, nisi intercedat rationis distinctio, quia Essentia est improducta, quidquid idem cum Essentia existat esse improductum, vel quia Filiatio est producta, quidquid idem est cum Filiatione esse productum: ergo non sufficit sola rationis distinctio ad illarum propositionum veritatem.

c) Valet etiam ultimum argumentum adversus Scotum propositum, ut notat Suarez (1).

121. Dices: eodem sensu, quo Essentia est Filiatio, etiam Paternitas est Filiatio, et similiter, eo sensu quo Paternitas non est Filiatio, neque Essentia est Filiatio: ergo ut verae et non contradictoriae existant ejusmodi propositiones, sufficit ad sensum vocum, id est, ad conceptum mentis respicere. *Ant.* prob. Cum dicitur, Essentia est Filiatio, sensus est: essentia est essentialiter, non personaliter, Filiatio. Atqui idem dici potest de Paternitate: Paternitas est essentialiter Filiatio, non personaliter. Item: cum dicitur: Paternitas non est Filiatio; sensus est: Paternitas non est personaliter Filiatio. Atqui idem dici potest de Essentia. Ergo sufficit distinctio per mentis conceptus.

(1) De Trinit. lib. 4, c. 3, n. 3.

122. Resp. Hoc argumentum, quo Platellus, Harnoldus, et alii, utuntur, confirmat insufficientem esse distinctionem solius rationis ratiocinatae. Nam patet, veritatem ab eo pendere, quod Essentia sumatur secundum *esse essentialiter*, quod convenit ei simpliciter et sine restrictione, vel secundum *esse personaliter*; et è contra, quod Paternitas, sumatur secundum *esse personaliter*, quod convenit ei simpliciter, vel secundum *esse essentialiter*, quod aliter ei convenit. Atqui *esse essentialiter* Essentiae, et *esse personaliter* ejusdem (idem, è contra, dicas de Paternitate) non distinguuntur sola ratione ratiocinata. Ergo haec rationis distinctio non sufficit.

Min. patet. Nam per te, Essentia secundum *esse essentialiter* est idem realiter cum Filio; et secundum *esse personaliter*, distinguitur realiter a Filio. Atqui impossibile est esse *uno modo* aliquid realiter, et non esse *alio modo* illud idem realiter, si illi modi solum ratione nostra distinguantur: ergo praedictum argumentum ostendit, aliquid amplius requiri in hoc mysterio praeter distinctionem rationis ratiocinatae. Et quidem, non aliter constat volitionem in nobis distingui plus quam sola ratione ab intellectione, nisi quia per volitionem *realiter* volumus, non vero per intellectionem: ergo a pari, si Essentia per suum *esse essentialiter* est idem realiter cum Filiatione, non autem est idem realiter per suum *esse personaliter*, major est distinctio inter hoc *duplex esse* Essentiae, quam solae rationis.

§ V.

Distinctio virtualis.

123. Ex dictis facile intelligetur, quare plures gravissimique Doctores, omnem distinctionem realem *actualement* inter Essentiam et relationes respuentes. virtualement, quam supra descripsimus (1), defendunt. Quorum Auctorum nonnullos laudat et sequitur Oviedo (2) dicens: «Distinctionem hanc virtualement, cum summa identitate, in Deo constituunt doctissimi et gravissimi Theologi. Illam expresse docet Cajetanus (1. p. q. 39. a. 1). Eamdem tradit Valentia (1. p. disp. II, q. 2, punc. 1); P. Molina (q. 28, a. 2, disp. 5); P. Herr.; P. Zuñiga; P. Tanner; P. Arrubal; P. Hurtado; P. Arriaga; R. Albiz; et late Aegidius. His subscribunt fere omnes politiores et acutiores recentes.» Deinde ait ipse Oviedo: «Conceptum objectivum distinctionis virtualis, sic explicatum, existimo catholice a nullo posse negari.» Eamdem virtualement distinctionem tuetur Gotti, clarus O. P. theo

(1) N. 30. — (2) Metaph. contr. IV, p. IV, § II.

logus, aitque (1) esse *sententiam* communem thomistarum. Eam et defendit P. Jo. Marin S. J. (2), qui dicit plurimorum esse nostrorum doctorum.

124. Ut autem magis elucescat quid virtualis ista distinctio praestet, quomodo ab Arriaga exponatur perpendas (3). «Una est distinctio virtualis, quae et *minima* est, et communiter ponitur solet in omnibus causis creatis, quantumvis in se indivisibilibus; consistit in eo, quod res illa una indivisibilis possit efficere effectus, qui in aliis causis minus perfectis requirunt duas vel tres aut plures entitates... Aliquando haec ponitur etiam ubi non est equivalentia in ordine ad multas causas, sed praecise ubi est diversitas specifica effectuum... Ut eadem potentia visiva, quae sola albedinem aut nigredinem videre potest... Aliter potest haec distinctio virtualis explicari in ordine ad diversas res, quibus una indivisibilis est similis vel dissimilis; sic albedo est similis nigredini sub ratione coloris, et dissimilis sub ratione albedinis.»

125. «Altera *major* (distinctio virtualis) difficilius explicatur. Quidam opinantur in eo consistere, quod a parte rei, ante operationem intellectus, dentur in eadem indivisibili entitate duae formalitates formaliter distinctae. Quae explicatio est satis communis (omnes Scotistae id tenent, ut diximus), et ob quam alii absolute omnem distinctionem virtualement, praeter primam paulo ante positam, rejiciunt. Eam ego non probo, quia omnino puto, propriam esse distinctionis realis... Ergo duabus formalitatibus a parte rei praesistentibus relictis, dicendum est: distinctionem hanc virtualement consistere praecise in eo, quod eidem indivisibili entitati et formaliter uni reali, vere tamen et realiter conveniant duo predicata ex se contradictoria, qualia sunt; produci et non produci, communi-cari et, etc. Dico *contradictoria ex se*: nam respectu ejus rei, in qua datur talis distinctio virtualis, non sunt formaliter et actu contradictoria, hoc est, repugnantia; si enim actu illi conveniunt, ergo actu non repugnant; at ea repugnantia, quam ex se habent ea praedicata, hic et nunc tollitur per distinctionem virtualement rei, supra quam cadunt: sicut enim *currere et non currere* ex se sunt praedicata contradictoria; si autem cadant supra res distinctas realiter...» Tandem ait: «Ex dictis hucusque concludo; re ipsa a nullo è catholicis negari posse distinctionem virtualement maximam, quam proposuimus, inter essentiam divinam et relationem.» Vide quoque Emm. Franzelin defendentem (4) hanc distinctionem virtualement, et Cajetani exponentem rationes et doctrinam.

(1) Tract. 2. de Deo, q. IV, § VIII. — (2) Tract. de Trinit. d. III, Sec. I, Matrit., 1712. — (3) In 1. p. disp. 42, S. 1. — (4) De Deo Trino, Thes. XXI.

§ VI.

126. Duplici argumento breviter ostendimus, concedendam inter Essentiam et relationes virtualement distinctionem. 1.º Quae contradictorie de relationibus et Essentia dicuntur aliquam exigunt distinctionem. Sed non sufficit distinctio rationis, nec datur realis actualis: necessaria est ergo virtualis.

2.º Inter praedicata realiter identificata, de quibus verificantur duo contradictoria, est distinctio virtualis. Atqui de Essentia et Paternitate realiter identificatis, verificantur praedicata contradictoria: ergo inter illa est virtualis distinctio. *Maj.* patet ex definitione distinctionis virtualis. *Minor* etiam patet ex dictis. De Essentia verum est, esse Filium: de Patre verum est, non esse Filium. Sed esse Filium et non esse Filium sunt praedicata contradictoria: ergo de Patre et Essentia verificantur contradictoria.

3.º Seu paulo aliter; cum de subjecto realiter, virtualiter et ratione eodem, praedicantur contradictorie, seu *affirmative* et *negative*, plura realia praedicata; haec distinguuntur saltem virtualiter inter se. Atqui Essentia et Paternitas praedicantur contradictorie de subjecto realiter, virtualiter et ratione eodem, scilicet, de Filio; Filius est essentia; Filius non est Paternitas; ergo Essentia et Paternitas saltem virtualiter sunt praedicata inter se distincta.

Paucis rem Molina, in loco citato, declarat: «Quaedam re ipsa, »seclusaque operatione intellectus, conveniunt Patri ratione relationis, quae non conveniunt ratione essentiae, et è contrario: ergo »relatio et essentia, quoad ea omnia, perinde se habent in Patre, ac »si formaliter distinguerentur, et quod inde fit, virtute et eminenter continent formalem distinctionem.»

127. Objic. 1.º Si datur distinctio virtualis inter Essentiam et Paternitatem, verum est a parte rei quod Essentia non est Paternitas: quia in se, independenter a nostra ratione seu a parte rei virtualiter distinguuntur. Ergo datur saltem distinctio formalis ex natura rei juxta Scotistas.

Resp. Nego assertum. Neque hoc deducitur ex probatione: nam illud, a parte rei virtualiter distinguuntur, significat, distinctionem a parte rei non esse *actualement*; quod tamen necessarium esset ad asserendum, Essentiam non esse Paternitatem.

128. Objic. 2.º Non tantum virtualiter, sed etiam formaliter datur a parte rei capacitas ad contradictoria: ergo non tantum virtualis, sed et formalis distinctio existit a parte rei. Resp. Nego *consequentiam*. Plus est enim formaliter distingui, quam virtualiter: illud est, unum non esse aliud; istud autem est, habere virtutem quamdam, quasi re vera unum non esset aliud.

Objic. 3.º Minor est distinctio virtualis, quam distinctio formalis ex natura rei. Sed haec non sufficit, ut dictum est, ad veritatem mysterii; ergo neque illa. Resp. Dist. *maj.* Est minor in ratione distinctionis realis actualis; conc. In ratione virtutis distinctionis realis; nego. Illa enim est formalis actualis, nec plus valet: alia habet virtutem distinctionis realis.

ARTICULUS IV.

Utrum insit personis unitas in subsistendo.

THESIS XII.

Essentia divina, vi suae existentiae absolutae et essentialis, non solum existit, sed etiam existit per se; ita ut non indigeat aliquo sustentaculo vel complemento, ut in se et per se existat: proinde essentia divina, vi suae perfectionis absolutae, non solum est *quo* aliquid existit, sed etiam *quod* existit.

129. Praenotanda. I. Subsistentia sumi potest in concreto, vel in abstracto: in concreto significat id quod per se existit; in abstracto vero, modum illum, quo res habet ut per se existat, qui dici potest ratio per se existendi. Illud autem *per se existere*, sumitur hic, non quatenus opponitur adhaesioni accidentis, quod est in alio tamquam in subjecto; sed quatenus opponitur termino alicui substantiali, a quo compleatur et terminetur in sua existentia substantiali. Humanitas Christi, ex. gr., est per se, primo modo; nam non est accidens: non vero secundo modo, nam terminatur et completur a Verbo ad existendum per se complete; hoc enim, quod est *esse per se*, non est in ipsa et ex se ipsa completum: è contra in divina essentia.

130. II. In hac perfectione subsistendi, seu existendi per se, duplex elucet ratio: altera positiva et directa; altera negativa et veluti consequens ex prima. Positiva et directa ratio est ille modus seu terminus vel ratio, qua res subsistens constituitur in tali perfectione subsistendi. Negativa et consequens est illa exclusio alterius termini, quo res compleatur in perfectione subsistendi. Haec ratio negativa vocatur incommunicabilitas, quae quidem ab omnibus includitur in definitione personae, in illo verbo *individua*.

131. III. Certum est talem incommunicabilitatem non oriri formaliter ab ipsa natura: nam de natura Divina fide constat, esse communicabilem et subsistere in personis; de natura humana cons-

tat, communicatam fuisse Verbo et in eo subsistere: igitur dicendum est oriri ab aliqua ratione positiva, quae aliquo modo a natura distinguatur. Cum ergo natura divina careat ea positiva ratione, vi cuius sit intrinsece incommunicabilis, quaeritur an ideo etiam careat intrinsece illo ultimo termino et complemento positivo existendi.

132. IV. Notandum est, duplici modo posse unum ens alteri communicari: vel per identitatem, vel sine identitate, id est, per unionem. Prima convenit divinae naturae propter ejus infinitam perfectionem et foecunditatem; non vero convenit divinis personis ad invicem, ut fide constat. Unde incommunicabilitas personae saltem hoc exigit, ut non communicetur alteri personae per identitatem. Altera communicatio quae fit per unionem, si generatim spectetur, non opponitur personae; constat enim Personam Verbi unitam esse humanae naturae: igitur speciatim ea solummodo unio excluditur a persona, qua communicetur alteri, tamquam ultimo termino et complemento suae existentiae.

133. V. Si natura creata habeat hujusmodi ultimum terminum et complementum existendi, eo ipso erit suppositum, vel persona, si sit rationalis; nam illa alia communicabilitas per identitatem, satis evidens est repugnare rebus creatis et finitis.

VI. Constat, ex fide, divinam naturam esse a se existentem absolute: item non dari in divina existentia essentialem aliquam rationem absolutam quae reddat illam omnino incommunicabilem; quia nihil est in Deo absolutum et essentiale quod non sit communicabile tribus personis. Quocirca, si per subsistentiam absolutam intelligamus rationem per se essendi omnino incommunicabiliter, certissimum est non esse in Deo talem absolutam subsistentiam.

134. VII. Quaestio igitur in eo versatur, an existentia divinae naturae habeat illud complementum seu perfectionem ultimam per se essendi a proprietatibus relativis, vel ex se ipsa; et consequenter, an divina natura non solum sit communicabilis ut existens, sed etiam ut per se existens; vel è contra, eo ipso quod concipiatur ut per se existens, intelligatur etiam incommunicabilis, et tamquam persona.

135. Prob. 1.^o Essentia divina, ut absoluta et ratione distincta a relationibus, est ipsum esse per essentiam infinite perfectum. Ergo includit in suo formali conceptu non solum existere, sed etiam modum per se existendi. *Ant.* patet; nam infinitatem et plenitudinem essendi habent personae ab essentia; relationes autem, vel non sunt perfectiones, ut aliqui dicunt, vel non addunt perfectionem essentiae, utpote eminenter illas continenti.

Prob. igitur *consequentia*. Primo: quia ens infinite perfectum ne-

quit concipi ut incompletum in ratione existendi; nec substantia infinite perfecta ut incompleta in ratione per se existendi. Ergo essentia divina includit existere per se.

Secundo: quia Ens per essentiam infinitum est Deus, et non tantum deitas: ergo est per se perfecte existens; alias non posset nisi abstractum de ea praedicari, sicut de humanitate Christi.

Tertio: quia ille modus in se et per se existendi est perfectio simpliciter simplex; quod concedunt adversarii, et videtur evidens: ergo debet includi formaliter in conceptu entis simpliciter infiniti.

136. Prob. 2.^o Concilium Rhemense ait: «Credimus et »confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, neque alio »quo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus »divinitas:» sed in opposita sententia posset aliquo sensu negari quod divinitas sit Deus, sicut quod humanitas Christi sit homo.

Prob. 3.^o *Quod dedit mihi Pater majus omnibus est*, ait Dominus. Atqui natura cum personalitate esset quid majus quam ipsa natura, nisi haec perfecte esset per se. Ergo divina natura est per se existens.

137. Objic. 1.^o Divina essentia necessario affert secum personalitates: ergo licet ab intrinseco non sit per se, tamen est infinite perfecta.

Resp. Neg. *Conseq.*: nam involveret ab intrinseco aliquam potentialitatem, nec esset actus purus per essentiam.

Objic. 2.^o Licet essentia non sit per se, tamen esse per se est commune omnibus personis: ergo haec perfectio dici potest essentialis.

Resp. Neg. *conseq.*: nam essentialia sunt idem numero et re: si autem esse per se convenit tantum personis, haec perfectio erit communis et eadem *ratione* tantum.

138. Objic. 3.^o Ipse sequetur essentiam esse personam, et dari personam unam essentialem et tres relativas.

Resp. Nego sequelam: nam persona dicit, in primis, modum per se essendi; et hoc, cum significet independentiam et sufficientiam ad existendum, est perfectio simpliciter simplex: dicit etiam talem modum esse incommunicabilem, et hoc non est perfectio simpliciter simplex, nec includitur in essentia divina, imo excluditur ab ejus infinita perfectione et foecunditate.

139. Objic. 4.^o Repugnat essentiam subsistentem subsistere iterum personalitatibus: ergo vel illa non est subsistens, vel hae non subsistunt.

Respondent 1.^o aliqui. Negatur id repugnare divinae naturae: si namque ei non repugnat terminari duplici personalitate relativa realiter inter se distincta, non est quod ei repugnet terminari duplici subsistentia indistincta.

Resp. 2.^o cum P. Suarez: relationes intelliguntur addi tamquam rationes subsistendi, non ipsius naturae primo et per se, sed constituti. Ita concipitur divina persona non quasi constituta ex actu et potentia, ex essentia et subsistentia; sed ut tota actuata et subsistens per se.

140. Obj. 5.^o Nusquam actum est apud Patres de illa speciali naturae divinae perfectione *in existendo per se*: ergo inutiliter fingitur.

Resp. 1.^o Dist. Nusquam actum est *implicite*; nego. Nam cum naturam perfectissimam, plenam, infinitam praedicabant, et eam perfectionem consequenter ei concedebant, ait Suarez. *Explicite*; subd. Idque urgebat praestare; nego. Quia nemo unquam perfectioni divinae naturae derogare ausus fuerat; concedo.

Resp. 2.^o Unde constat talem perfectionem Patres non laudavisse? Quare innumeri PP. graeci naturam dicebant hypostasim? Quare nunc personas, nunc essentiam hypostasim appellabant? Quare latinis substantia et subsistentia synonyme personabant? Num quia vim vocis non callebant? Certius et verius judicabis, si existimes perfectionem subsistendi tum in natura, tum in personis Patres perspexisse, et quod inde ambiguitas vocis ortum duxerit. Quis audeat dicere Conc. gen. Nicaen., Sardicense, S. Athanasium, Conc. Alex., non satis perspectam habuisse vocem hypostasis, cum eam naturae vindicabant?

THESIS XIII.

Existentia absoluta et essentialis Dei, quatenus ex plenitudine perfectionis ejus essentia per se existit, dici potest subsistentia, et deitas proinde subsistens.

141. *Nota.* Non esse unam solam, sed tres subsistentias relativas in Trinitate, ex supra dictis patet: utrum autem divinae Personae in una subsistentia essentiali et absoluta convenient, disputatur ab Auctoribus. Cum D. Thoma, Suarezio, Cajetano, etc. adversus Vazquezium, Ruizium et alios, affirmamus. Posita autem theseos praecedentis veritate, quam quo pacto quis negare possit non video, praesens quaestio non nisi *de voce* est disputatio, non tamen inanis; multum enim refert in doctrina fidei, maxime in Trinitatis mysterio, quibus utaris terminis.

142. Prob. Ad significandam perfectionem divinae existentiae et essentiae, licet uti eo nomine latino, quo Patres et Doctores latini eadem de causa usi sunt. Atqui usi sunt nomine subsistentiae

ad eam perfectionem significandam: ergo existentia divina est subsistentia, et essentia dici potest subsistens.

Maj. patet: nam de usu vocis latinae circa res dogmaticas non alii, quam Patres et Doctores latini consulendi sunt.

Prob. *min.* S. Hilarius (in *Fracm. hist.* 2, n. 32), ait: «Essentia enim ex eo quod semper est nuncupatur: quae, quia extrinsecus opis ad continendum se nunquam egerit, et substantia dicitur; quod intra se, id quod semper est, et in aeternitatis suae virtute subsistat.» Ac etiam (*de Synod.* n. 12): «Proprie autem essentia idcirco est dicta, quia semper est. Quae idcirco etiam substantia est; quia res, quae est, necesse est subsistat in sese.»

143. Item Augustinus (*de Trinitate* l. 7, c. 4): «Absurdum est autem ut substantia relative dicatur: omnis enim res ad se ipsam subsistit; quanto magis Deus?» Et cap. 6. «Ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Sp. Sanctum; sicut ad se dicitur Deus et magnus et bonus et justus, et si quid aliud hujusmodi.» Jam vero in eo quod persona ad se dicatur, subsistere intelligitur: ergo et Deus subsistit.

S. Hieronymus (in Ep. ad Damasum XIV, alias 57); «Interrogemus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi? Tres personas subsistentes ajunt: respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid veneni in syllabis latet... Tota saecularium literarum schola nihil aliud hypostasin nisi usian novit. Et quisquam, rogo, ore sacrilego tres substantias praedicabit? Una est Dei et sola natura, quae vere est. Id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est... Sed quia illa sola natura est perfecta, et in tribus personis Deitas una subsistit.»

Ex dictis testimoniis elucet, quod plane falsus sit P. Vazquez asserendo, Augustinum et Hieronymum noluisse subsistentiam personarum admittere, atque sensum vocis ignoravisse.

144. S. Isidorus, (*De differentiis rerum*, l. 2, dif. IV) ait: «Inter substantiam et essentiam Dei hoc quidam definierunt: quod substantia est hoc quod non est ab alio, sed semper ex sese est, hoc est, propria intra se virtute subsistit. Essentia vero, quia semper est, nec incipiens aliquando, nec desinens est.»

Anastasius Bibliot., vir, omnium consensu, apprimè eruditus, et utriusque linguae graecae et latinae gnarus, utitur voce *subsistere* ad naturae perfectionem significandam. In translatione Conc. Nicaeni II. ea verba: φωνὴ δὲ πρᾶγμα ἀνδιπαρτόν... vertit. «Porro autem naturam fatemur rem per se subsistentem, non indigentem alio ad sui stabilitatem.»

Anselmus pariter (*in Monologio*: c. 6): «Ergo summa essen-

»tia, et summe esse, et summe ens, id est, summe existens, sive »summe subsistens, non dissimiliter sibi convenient, quam lux, et »lucere, et lucens.»

Pro coronide sufficiat unum ex innumeris S. Thomae testimoniis (1): «Proprietates absolutae in divinis, ut bonitas et sapientia, non opponuntur ad invicem, unde neque realiter distinguuntur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere, non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas.»

145. Objic. 1.^o Hieronymus et Augustinus ignorabant vim vocis hypostasis et subsistentiae: unde sicut asserebant naturam subsistere, ita negabant tres subsistentes: Resp. ex dictis constat falso haec asseri, nec sine temeritatis specie tantis Doctoribus ignorantiam imputari.

Objic. 2.^o Postquam convenerunt Patres in vocis hypostasis significatione, nunquam subsistentia est de natura dicta. Resp. Iterum falsum est assertum, ut ex laudatis patet testimoniis.

Objic. 3.^o Apud graecos jam non licet naturam hypostasim dicere. Resp. Dist. Si vox hypostasis non fuerit plus restricta quam vox subsistentia, nego. Si fuerit plus restricta, permitto. Verum quid de graecis, cum agitur de usu vocis latinae?

146. Objic. 4.^o In Conc. Lateranensi, sub Martino V, et ab Imp. Justiniano sumpta est vox subsistentia ad significandas personas; ergo non licet essentiam subsistentem dicere.

Resp. 1.^o Etiam Hieronymus dixit personas subsistentes, etiam Anastasius, etiam D. Thomas, etc. Tamen essentiam subsistere non negarunt. Ergo nihil exempla praedicta evincunt.

Resp. 2.^o Et prohibuit Concilium essentiam subsistentem dicere; nego. Aliter, concedo.

147. Nota: Lateran. Gener. minime adhibuit vocem subsistentiae ad significandas personas: sed tantum vocem apud Latinos semper usitatam, personam nempe, et proprietatem personalem. Idem praestiterunt plura Toletana Concilia tum in professionibus fidei, tum in tradenda de *Trinitate* catholica doctrina: eodem modo loquitur Pontifex Leo in suis litteris ad Flavianum Patriarch. Constant., toto acclamante Conc. Chalcedonensi, laudatis. Unde sicut apud graecos vox hypostasis, ita apud Latinos vox persona ea, quae in Trinitate plura sunt, proprie significant. Inaniter ergo timent adversarii parituram confusionem subsistentiae vocem, si de natura etiam dicatur: quod si talis subsistentia absoluta esse significetur, ac proinde communicabilis, tunc, neque remotissime, confusionis umbra apparet.

(1) P. 1, q. 30, a 1, ad 2.

CAPUT III.

De iis quae communia sunt divinis Personis.

ARTICULUS I.

De personarum divinarum constitutione.

THESIS XIV.

In Deo sunt verae proprietates constitutivae Personarum.

148. Nota. Doctrina haec certa est ac communis adversus paucos theologos, qui eam negarunt, putantes imperfectionem et compositionem significare, quod constituatur aliquid per proprietates.

Prob. 1.^o Lateran. IV. (c. *Firmiter*) ait: «Haec sancta Trinitas secundum communem essentiam una, et secundum personales proprietates discreta.»

2.^o Ex. PP. vide Athanasium supra (1); Basilius autem ait (2): Cum una sit Deitas, fieri non potest ut propriam Patris aut Filii notionem assequamur, nisi mentis cogitatu proprietatum accessione distinguantur... Nec ii modi, quibus ejus proprietates indicantur, simplicitatis laedent rationem.» Cyrillus etiam (3): «Nihil proprium uni est, quod alteri non insit, excepta solummodo Patris et Filii appellatione ac re.»

149. 3.^o Personae, quae realiter distinguuntur, debent aliquid sibi proprium habere, quod aliis non sit commune. Sed tres personae divinae sunt inter se realiter distinctae: ergo proprietate aliqua gaudent.

Confirm. Habent divinae Personae unam individuam essentiam: ergo ut vere sint plures et realiter distinctae, in singulis aliquid proprium inveniri debet; scil. forma illa, seu quasi forma, qua Pater est Pater, simul cum essentia, constituit Patrem; et similiter aliquid proprium Filium et Spiritum Sanctum constituere oportet.

150. Objic. 1.^o Forma constituens est actus rei constitutae: ergo ut realiter constituat, debet forma esse actus realis. Atqui actus realis dari nequit sine compositione reali, quae Deo repugnat: ergo non sunt in Deo verae proprietates constitutivae, sed solum apparenter.

(1) N. 18.—(2) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 29.—(3) *Thesaur.* l. 2. c. 1.